EX LIBRIS

HYPPOCRATIS DE NOVA, ET
prisca arte medendi, deq;
diebus decretoriis
Epithomæ

MICHAELIS ANGELI BLONDI


Ad honorem Dei, & vtilitatem generis hu-
mani, lucido perornatæ sermone;
Et clarissimis sentẽtijs Hyp
pocraticis; Nunc primũ
vigilantibus expo-
sitæ.



ROMÆ.

In Platea Parionis:

Cum Priuilegio Diui Pauli III.
Max. Pont. in Decennium.



VERIDICO VATI, ET P.
Astron, Lucæ Gaurico,

MICHAEL ANGELVS
Blondus S.

MEMINI ꝙ *studiosissime ortatus es me, ut scriberem ea, quæ ad artem medendi spectant, inertium propter copiam; En igitur feci; quid enim libentius suscipere debueram, te præsertim exigente, quàm quod meam artem extollit; Namque, etsi in Vrbe sint grauissimi, doctissimi, & disertissimi viri, tamen tanti putas vigilias meas esse, vt dictis etiam possint esse consolationis; En tandem Gaurice mi vigiliarum nostrarum quędam portio, quo noscas quantum parcimus doctrinæ Hyppocratis, confecimus enim epithomas ex quibusdam tractatibus eius, vt inertibus, vel ignaris etiam eius breui methodo succurreremus; nam compendiose collegimus, lucidius autem quàm potuimus, quicquid ad artem medendi spectare nouimus, cum prisca, tum eius in arte noua, addidimus etiam quod scripsit de diebus decretorijs epithoma, Quoniam hæc valde necessaria medentibus præcipue tirunculis esse putauimus, videmus namque & tuum maximum studium esse in conficiendo opere de diebus criticis, proculdubio laudabili, studes enim tu quoque aliorum doctrinæ de*

more prudētiſſimi, itaque vatem prudentē, et Aſtronomorum Principem his noſtris vigilijs excolere curauimus, vt noſcas noſtram veram eſſe beneuolentiam proptea non deſines amare **Blondum eo amore, quo vides Blō dum diligere Gauricū· vale. Ex vrbe.**

EPITHOMÆ MICHAELIS ANGELI BLONDI EX HYPPO. LIBRO DE ARTE

noua medendi.

EXTANT *quidam, qui arbitrati sunt, hoc, artem esse, quod censerunt quasdam artes inficere, quod autem ęstimo non fecerunt, verum quales forent perhibuere;* Mihi vero *hoc artem fore uidetur quod nondum inuentum fuerit inuenire, quodq; optimum est, dico officium sapientię esse, quę imperfecta perficit;* Turpi *autem sermone inuentiones aliorum damnare non est ars, pręcipue dum nil pręstantius efficiant;* Verum *enimuero prudentum inuentiones damnant, apud ignaros, quòd, non est offitium prudetię, sed potius naturę nequàm manifestatio; decet autem hoc artis ignaros, quod & cupiunt; tamen propria caliditate ad hoc etiam non perueniunt, vt aliorum egregia opera inficiant, aut si fuerint minus quàm bona redarguant; hoc tandem, modo homines irruentes inalias artes, qui possunt, quiq; curant hoc, comprimant; hęc autem verba sunt contra illos, qui hoc ordine, laniant artem medendi. qui vero in hoc viriliter*

insurgunt, qui carpunt insicientes, dum pollent sermone, ob artem cui fauent, præstantiores sunt propter scientiam qua iuuantur, mihi certe hoc vulgo videtur, nullam artem esse quę non sit & vera, absurdum enim est, eas censere, quę non sunt, artes esse. quoniam si quis rerum illarum, quæ non extant quampiam non perspiciat substantiam, neq; efferet ea extare; itaq; si verę non videntur, quę non apparent, vt apparerent, non comperio quemquam, cui occurrunt, quę non inueniuntur, vt comperirentur; quę vero extant & animo concipiuntur & oculis cernuntur. At quę carent essentia non ęquę percipiuntur; tamen quę extant & comprehenduntur, & cernuntur, ostensę vero artes iam noscuntur; nec est quępiam, quę ex aliqua spetie & forma non apparet; equidem arbitror propter illas & nomina recepisse. Est autem vesanum atq; irrationabile ex nominibus, putare, & species, & formas ortas esse, quia natura legibus instituit nomina, species vero & formę non sunt legunt instituta, sed germina tantum. Verum hoc si quispiam ex dictis non discernit, alibi clarius docebitur. Medicinam igitur, nam de ea proposui sermonem, imprimis exponam, vt sentio; est autem medicina quæ omnes affectus languentum penitus sternit, et quæ morborum propellit acerbitatem estq; doctrina qua instruimur, morbo consumptis non accede-

re. Constat autem, medicinam omnes languores sternere non posse, quod vero efficere potest inferius monstrabitur; & in artis ostensione, pariter rationes illorum qui ęstimant dignam esse reprehensione destruam, vt quispiam in eam quid excogitauit. Itaq; initium dicendi ordiar inde, vnde omnes affirment, eam esse veram, qui per eam conualescunt, a quibus omnibus medicina non damnatur; qui vero contra insurgunt, hoc dicunt; qui superant morbos, atq; ipsos graues affectus qui vincunt, fortuna quadam, & non arte vincere, ac superare languores. Verum ipse omnino fortunam non destruam; quia curas haud recte destructas aduersam vocari fortunam ęstimo, qui vero sunt liberi morbis, illorum secundum appello. Deinde quantum valent, in his, qui curantur, quid aliud efficere quàm ipsam artem aperiam. Itaque ea utentes & illi studentes sunt saluberrimi; Namq; species seu forma fortunę nuda est, & obscura, quam arti imiscere studentes errarunt, propterea, curati, non fauore fortunę sed beneficio artis medicę conualuere. Postquàm enim corpus inualidum arti credidere, tum & formam eius & offitium optime nouerunt. Arguet autem qui contra disputat, olim quàm plurimos infectos morbo conualuisse, medicis non vtentes; quod, haud reprobo, quoniam accidisse potuit, vt qui remoto pręsidio medentium, inciderit in me

dicinam; non vt qui nouerint quid rectum, seu di-rectum in ea esse, sed medentes sibiipsis in eam incidisse, haud aliter quàm si usi essent medicis. Verumtamen magnum hoc est argumentum. Artem esse profecto, & magnam, vt conspicitur; quam etiam arbitrantes non esse per eandem fuisse curatos, quia necessarium est infectos morbo qui medicos quoq; non nouerint, confiteri curatos fuisse, aliquo modo cognoscere; aliquid efficiendo, seu deficiendo, quia vel ciborum paucitate, seu plurima refectione, aut vberrimo potu, vel defectu eius, siue lauacro vel balneis aut laboribus, vel requie, seu sopore vel vigilia, siue horum omnium vicisitudine vtentes, secundam valetudinem consecuti sunt, quod autem plurimum profuerit seu obfuerit illis, oportet illos cognouisse nec tamen quilibet nouit discernere quę iuuerint vel quę nocuerint, quęue infecerint corpus. quoniam qui incidit in morbum, tum comprehenderet quę laudari quęq; damnari debent, seu cognosceret medicamenta atque ędulia per quę conualuit; cuncta hęc artis medicę fateretur pręsidia esse. Tamen si quæ dicta sunt, ut profuissent, cum eadem obfuerint, hæc talia significant artem esse. quoniam quę iuuamento fuere, ideo profuerunt, quia rite oblata sunt, quæ vero obfuerint, ideo nocuerunt, quoniam haud recte oblata sunt: propterea vbi rectum, seu obliquum siue vtrunq; habet

habet

habet locum, quando hoc ars non erit. illud enim non efferam artem esse, quod neq; rectum neq; habet obliquum; quod autem possidet alterutrum, vel vtrumq;, quo pacto artis opus non erit? prȩterea dum medicamen componeretur tantum ex pharmatijs, soluentibus corpus, & frenantibus, quod solummodo esset offitium, & medentium, & medicinȩ, hȩc nostra oratio vana atq; infirma esset; Num vero fluctuant medentes, qui maximȩ efferuntur, quia regimine victus, & alijs rebus simillimis languentes curant, quȩ nunquàm, num medicus etiam, verum, & rerum ignarus cum hoc perciperet, artis offitium non esse pronunciaret, postquàm autem neq; in prȩstantissimis medicis, neq; in arte medendi sit quicquàm non fructuosum, verum plurimis quæ oriuntur, & quȩ fiunt, species vel formȩ medicaminum, compertum non est, vt qui remotis medicis recuperauerit valetudinem, illud spontȩ fecisse perhibeat; quod enim sponte fit, non probatur per comparationem. nam quȩ facta sunt comprȩhenduntur quo modo, et propter quid facta sint; quod vero sponte factum est, non constat, sic esse, neq; ex aliquo constare, verum, illud nomen tantum possidet: ars vero medendi, cur & quomodo sit facta comprȩhenditur, & ex quibus existat; his autem quȩ valetudinem fortunæ, & non ascripsit medice arti; miror, vt hoc pronuntia-

uerit; At qui etiam in morientium langore efferunt artem, stupeo, qua mouentur auctoritate, quia potius intemperantię laborantium in extremis tribuendum est hoc, quàm medentum damnandum sit offitium, velut proprium esset illis pręcipere non profutura, atque deficientum sit dos pręceptis non parere, quinimmo certius est, deficientes obtemperare nolle, seu medentium pręcepta exequi non posse, quàm medentes non profutura præcipere. Nam *qui rationis est compos, et corpore sospes, morbo infectis oppitulatur, volutans animo pręsentia, & preterita mala, vt languentem, & astantes possit instruere, cur inciderit in langorem, & quę non fecerit recte; infecti autem nesciunt, cur torquentur vel non torquentur morbo, nec ab instantibus, seu elapsis cognoscunt futura, nec propter quid talia efficere coguntur, quę medentes suadent: quidem ex instanti morbo grauiter laborant, futurum timent, quia nequàm succo turgent inanes alimentis, qui feruentius cupiunt quæ delectant, & si langorem augeant, quàm quę valetudinem parant, quàm uis occumbere non optant, verum quia pati nequeunt morbum, cui tandem pręstanda est fides, languentibus ne, qui ea exequi nolunt quę medici suadent, vel quę dissuadent; seu medicos, vt retulimus non profutura pręcipere. Certum est medentes potius ea suadere quæ prosunt lan-*

guentes vero praeterire praecepta, & si noscant ni paruerint posse occumbere, tamen mortis causam illis obijciunt qui se defendere nesciunt, mortis autem auctores defendunt, praeterea sunt quidam qui damnant artem medendi, cum langoribus consumptos curare nequeunt, ferentes, quod affectus quos compriment, sponte deleri posse, qui vero egent fauore medici, illos non posse curare, cum oporteret; itaque ars medendi esset, omnes ex aequo morbos curare; qui vero talia efferunt, si medicos inficerent, dicentes haec, spernerent, velut mente captos, proculdubio astu illos inficerent & profutura praecepta damnarent; quod si quispiam artem inficit vbi non est ars nec potest prodesse, seu naturam quae sponte non potest posse arburetur, vesanus est magis quàm ignarus; Artium enim quarum instrumenta rite tractamus opifices sumus, reliquarum vero non aeque sumus; cumque aliquis quid patitur morbi quod exuperat artis instrumento non posse praecidi neque medicamine tolli, non est censendnm; quia cum sint multa in re medica quae vrunt, verum postremo ignis admouetur, & si pleraq; alia vrant, nec tamen constat adhuc, an fortibus minus fortia vincuntur, grauissima autem potentioribus comprimuntur quae tamen ignis non deuincit, quippe alia indigent arte, in qua non est virtus ignea, de alijs autem rebus, quae iuuant artem medendi, quorum

omnium, fateor accidentia ex accidentibus, medentem, morbi acerbitatem producere, & non artem; qui vero inficiunt hos, qui morbo consumptos non solantur, quinimo precipiunt nocua potius, quàm profutura, hos tandem mirantur sub medentis nomine. qui vero arte, & prudentia pollent damnant illos; sed artis medendi periti, non egent ignaris seu delusoribus, siue adulatoribus; verum indigent arte peritis, & prudentibus qui recte operantium facta colaudent, & quę fuerint minus quàm recte facta, paulominus aprobent; opera vero aliis artibus constantia, & tempus diuersum, diuersis ostendet, & rationibus; quę tamen per artem medendi, qualiter seu quomodo sint iudicanda, & preteriti sermones ostendunt, & presentes. nouerunt enim eruditi hac arte, quod quidam affectuum non latent, et quod plurimi etiam delitescunt, qui vero tumores, vel succorum defluxiones sunt rubri colore, seu turgent, in supremis visu & tactu discernuntur. Colores nanque visui subyciuntur, solidum ac molle tactui, quorum omnium medicamenta certa oportet esse; neque vt facilis, ac discreta, discernuntur autem non ab omnibus, sed a studentibus atque eruditis, qui norunt prodesse humanis affectibus, arte, & ingenio, propterea ars quæritur tam ad oculta, quàm ad apparentia, neque de arte est dubitandum, et de oculus sunt ossa, et quæ illis adhe

rent, & ventriculi, corpus autem non adeo vnum, verum plures; habet ventriculos, duo enim sunt qui recipiunt alimentum, eijciuntq; . pręterea sunt plures alij quos nouerunt, qui student his; nam musculi qui carnę circundantur, habent ventriculum, quia quod non congeritur, & tegitur carnę seu cutę concauum est, & spiritu plenum vel pure; sed carnę musculosa teguntur brachia, lacerti, & coxendica, & tibiæ, habent, & non carnosa vt & carnosa; Thorax quo tegitur iecur habet ventriculum, & craneum capitis quo cerebrum contegitur; & dorsum cui hęret pulmo, quorum nullum est quod vacuum non habeat, plurimis namq; spiritibus sunt plena, ideo rectissime plurima vasa dici possunt, a quibus corpora: & afficiuntur nonnunquàm, et inficiuntur; pręterea, multæ & venulę, & nerui, non adeo in suprema parte carnis sunt; verum, & ossibus cohęrent, sunt nanq; articulorum ligamenta, & articuli qui includuntur ossium capitibus, in mouenti iunctura, vbi circunuoluuntur instar circuli, quorum nihil est, quod non sit instar spumę; quę circa cauitates ipsas quandam saniem non præferat. quibus extensis grauis sequitur affectus; quorum neq; pars minima subijcitur oculis, quoniam oculta sunt hęc, & a me etiam male exposita, atq; arti obscura, & si arti inesse arbitrentur, non equidem quod oculta vincat, verum si fieri potest ea supe-

rat, tamen fieri potest, quando natura languentium facile comprehenditur, inquirentibus enim natura rite disponit cuncta; quæ & si magno labore, ac temporis spatio, oculis non perspiciuntur, tamen quæ aciem fugiunt visus, ea mentis oculo videntur ac comprahenduntur, quibus, & enim laborantes morbo inficiuntur, cum cito medicus ea non perspicit, in causa est non medicus, sed laborantis seu morbi natura, est namq; offitium medentis, morbum, quem non perspexerit, seu viderit mente disquirere atq; animo discernere, qualis possit esse; quinimo, & qui langoribus occultis laborant nituntur ipsis medentibus præcepta ferre, quod potius opinione quàm doctrina faciunt; quia dum hoc ita nouissent nunquàm in medicos incidissent, quia eiusdem scientiæ est, & affectuum causas cognoscere, & cunctis, succurrere medicaminibus quæ morbos augeri prohibent; cunq; his rem non potest perducere ad certam veritatem, in dubio constitutus hæsitat, an, vt fama refert potius, vel vt nouit curare debeat. Itaq; causa istius moræ non est ars, verum natura corporum, quæ infecta etiam optat prodesse corporibus. Tamen adhuc hæsitans supercogitat; an temere potius celeriter, vel sero prudenter opitulari debeat: his autem vel sit medicus vel non, dum visu & langoris notione sufficiat vtiq; & præsidijs sufficiet: verum autem; is;

In quo apparet hoc: si vincitur quia serius quàm debuerat accessit ad medicum, langoris peribit celeritate; Tamen cum quis disponit seipsum velle curari, priusquàm nouerit morbum, num in præoccupando erit velocior, quia non nouit illum ob fortitudinem corporis quæ plerumq; impedit, ne affectus discernantur; negligenti tandem insidiatur morbus; solicitus vero curatur. Ideo cum quis fauore artis morbo latenti admouerit manus, liberabit hominem morbo; qui magis & mirandus, & laudandus est, quàm, qui vix spirantibus profuerit; quod in nulla alia artium est quę reperiuntur; nam quæ exercentur per ignem, & assimilantur huic, cum deest ignis desinunt esse, alia autem corpora solida, quę fabrę fiunt, quędam ex ligno, nonnulla ex pellibus quędam fiunt pictura, aliqua ex ęre, quędam ex ferro, cęterisq; partibus, quorum plurima rectius fiunt, tarditate quadam quàm celeritate; quibus cum desunt instrumenta, talia etiam deficiunt, verum mora plerumq; prodest illis, ideo, & venerantur; hoc autem ars medendi non habet, nam si quid plenum est pure, si iecmoris affectus, seu rhenum, aut ilium, siue ventris langor quempiam comprimit, non seruata diligenti scrutatione; quæ vniuersi conspiciunt omnes, errauit in morbis dignoscendis, dum occidunt; Tamen langorum copia inuenta est, ex vocis organo, expondere & ex

fluore, quę cuncta succedere solent homini, & per quae fit expulsio excrementorum, quae vel etiam concipiuntur odore, aut colore discernuntur, seu leuitate ponderis vel crassitudine iudicantur; quorum omnium sunt signa, quidam affectus, & quae pati consueuerunt, quando autem hęc apparent, natura volens non amittit, verum coacta necessitate, percurrit, & vacua, & nocua; quod, cum fecerit destituitur, tamen artis quid sit agendum peritis ostendit, vrget namq; calor congestam diffundere pituitam; esculentorum ac poculentorum qualitatem discernere, quid videatur; quorum, ipsa remollit quosdam vt videantur; prętere a tunc patet respiratio cum quis ardua ascendit, aut cursum exercet, tum his natura euocat sudores, qui ex copia humiditatis veniunt; quod autem per viam lotij emittitur, certius inditium est morborum, quàm quod per poros carnis transpirat; prętere a ars excogitauit poculenta, & esculenta, inuenit, quę calentibus augerent caliditatem; & tabida maiori tabe inficerent; & colliquentia magis liquefacerent; quae nunquàm etiam madescerent seu defluerent, nisi forent horum ope adiuta; sunt, & quædam alia ante alios & quę transeunt per alia vt appareant; ideo non est mirandum; dum his fides serius præstatur; & manus tardius ad mouetur; nam medendi scientia: rite curatis habet multa præsidia; non rite vero

curatis

curatis tardius admonet manus; quod si admoue- at etiam, restituit tantum illud quod habet in se, vt iam recitauimus; quod & à plerisque peritis tra- ditum est; huius artis; quæ effectu magis quàm copia verborum certam potius acquirunt fidem; in rebus quæ cernuntur oculis quàm quæ percipiuntur auribus.

Explicit libellus de Arte noua.

EPITHOMÆ.

MICHAELIS ANGELI BLONDI.

EX HYPPOCRATIS LIBRO II. DE ARTE PRISCA Medendi.

OMNES *qui aliquid scripserunt de Arte medendi; proposuerunt sibiipsis; calidum; frigidum; humidum & siccum; hominis morborum causam ac principium obitus esse; seu quid aliud; præter hoc; vt voluerunt; quorum*

vnum vel plura omnibus rebus alijs præposue-runt, qui, quantum errauerint, constat; quia digni sunt reprehensione, cum nil de arte hac di xerint, quę extat; qua vtuntur medentes, & grauissimis in langoribus; Ideo optimos colunt *medicos, quia proculdubio, optimi sunt artifices, quidam vero mali; quod equidem non esset, quoniam si ars medendi non extaret, nil penitus in ea per spiceretur; neq; excogitaretur, quia omnino non comperiretur.* Propterea omnes homines, ar-*tis huius essent ignari; fortuna tandem regeret affectus valitudinarium, quod modo non regit.* Verum vt artifices, *cæteris in artibus, differunt opere et ingenio,* Ita et *in arte medendi;* Ideo *nunquàm æstimarem, inani materia eam egere,* vt *obscuræ seu artes laboriosæ egent. de quibus si quis velet loqui, oporteret illum argumento vti instar eius, qui de rebus magis vel terræ suppositis differit, quia earum profitetur scientiam.* Verum *enimuero, tam qui differit quàm qui ea perspicit, manifestæ nouit an ea sint vera; quoniam non habet quo se referat, aut quibus ea confirmet, neq;* vnde *extorqueat verũ quod nõ est in* Arte *meden di. quia cuncta prisca inuenta sunt ætate.* Inde *patet & principium & via, qua cætera comperiantur diuq; inuenta noscantur, & reliqua de-nuo reperiantur, dum non satisfaciunt inuenta.* Motus *tandem amore rerum non dum cognita-*

rum, noua ad inueni. dum tamen quis ea non admittit, quinimmo cuncta reprobat, alia perquirens maximæ fallitur alios etiam decipiens. quia hoc fieri non potest, vt ratione comprobabo; & artem medendi monstrabo, qua, manifestum faciam quod nisi per eam, cuncta inueniuntur, primum igitur videbitur, quòd, qui de hac arte fari seu quicquàm scribere voluerit; illum oportere omnibus nota ferre, nec decet illum alijs de rebus loqui, quàm proprijs de affectibus, quibus ipsemet tristatur, omnem enim hominem delectat proprios langores cognouisse, quo modo nascantur, comprimantur, tabidi fiunt, vel deleantur. Nullius etenim quisquàm meminit acuratius, neq; alia præstantius nouit, quàm quæ passus fuerit. quorum, qui rudes sunt, ea haud facile percipiunt, neq; aliorum etiam inuentione seu dicta ex templo intelligunt nec referunt; omnis tandem ineruditus nec mentem populi, neq; consensum eius consequitur, nec auditorum recte disponit animum, ad ea quæ proponit; ideo talis magno non eget argumento, qua propter dum ars medendi comperta non esset per exordia, nemo languentum ea indigeret, si alimentis vterentur quibus salubres vtuntur. at cum alijs vescuntur edulibus quę cùm prosunt illis, valde vtiliora sunt illis, quàm saluberrimis. hoc tandem impulsit homines vt artem medendi quęrerent atq; eam constituerent: quod

haud se issent; dum quæ sanis profuerunt ægerri mis etiam oblata profuissent, vt etiam hac tempe state non prosunt; verum vt altius repetamus; ea quidem arbitror, quod neq; edulia comperissent; quibus, genus nunc vtitur humanum, dum satis esset homini, ea edere, atq; illis ventrem diluere, quæ bruta pascunt, & quibus ventrem proluunt; vt sunt, e, terra nascentia, vt est omne genus her barum, frondium, pomorum, & fructuum cæteraq; omnia, quibus dicta animalia vescuntur crescentia ac sine labore degentia, alio non indigentia cibo, quo omnes homines vsos fuisse ab initio arbitror; verum edulia, quibus nunc genus humanum vescitur, inuenta sunt ab hominibus, & ingenio comperta, magno temporis interuallo, arte confecta, atq; elaborata fuisse videntur; quia plurimorum copora hominum graues subibant morbos, hoc ferrino vtentes victu, magnæ etiam et indiscrete vires afficiebantur, vt quoq; mo do afficerentur dum isdem edulibus vescerentur ac premerentur laboribus, quoniam improuisa morte occiperentur. minus vero iis assueti, passi sunt; Tum ergo frequenter & plures imbecillem possidentes naturam occubuisse putandum est; qui vero euaserunt diu vixere. Haud *aliter quàm his temporibus etiam qui crassum alimentum facile concoqunt. pleriq; autem per immensum etiam exercitium, vix ab affectibus fugiunt, hac tan*

dem moti necessitate, quę sisse almenta generi humano per commoda, hęcq; comperisse, quibus modo vtuntur; Terrentes frumentum, & farinam facientes, & exposito igne panem fecere, libam seu placentam quoq; ordeaceam, plurimaq; alia ex frumento componebant; quędam elixantes, pleraq; supposita cineri torrebant, permiscebant nonnulla, aliqua lauabant, & fortia leuiori bus ad mixta formabant. Cuncta hæc humani generis parantes ad commodum; secum ipsis facultatem, & vires cogitantes, quæ essent fortiora, ea, naturam mortalium haud vincere posse, dum intromiterentur, labores; ac cruciatus, & affectus; futuri occubitus sentiebantur. quę vero superare posset; edulia, almentaq; optima fore, vnde acquiritur generi humano incrementum cum salubritate; huic tandem inuentioni quis instituet nomen magis congruum quàm Artis medendę, quia inuenit alimentum propter salutem hominum, vt permutatio almenti esset causa salubritatis; namq; alio almento longiores cruciatus & ipsi oriebantur affectus. Verum si quis arbitratur non esse artem, non est incongruum, cum nemo artis ignarus est; quia omnes periti sunt propter vsum, & eius necessitatem; itaq; neminem decet artis huius artificem appellari; quia inuentio hæc magna est. & maxime obseruationis ac considerationis, quinetiam modo, illi qui scolis dant operam, &

quęsiui, eadem via inquirentes semper aliquid inueniunt; quod cum comederint seu auferint; plus quàm fuerant, quorundam fiunt fortiores. Nunc *igitur contemplemus* Artem medendi, *quam omnes confitentur inuentam esse languentium propter causam. ideo & nomen inde sortitur cum artificibus quibus ipsa afficitur, a quibus & ortum habuit. mihi autem non videtur; ars medendi quęsita, quod ab exordio diximus, nisi per illos, qui excogitauerunt hunc modum commodius viuendi, & affectis, & salubribus.* Nam modo quoq; barbari, *qui arte medic. non vtuntur, & qui græcis proximi sunt, eodem regimine, quo cum salubres sunt, vtuntur in langoribus & sanitate; neq; quod cupiunt, infecti fugiunt; aut partius edunt quàm salubres. qui vero artem medendi inuenerunt; idem senserunt cum prædictis. opinor tandem quòd in principio, ex propria eduliumcopia aliquid subtraxerint; atq; ex multis pauca fecerint & obtulerint, quod cum illis non videretur satis esse;* Non enim valitudinarijs *ex æquo profuerant, nam quidam erant, qui nec paucissimas refectiones superare poterant, hos tandem æstimarunt quibusdam leuioribus indigere; ideo liquidos potus inuenerunt, ad modum potentiores, aquæ copiam admiscentes; qui erant potentiores natura, seu proprietate; rerum admixtione, vel elixatione detrahebant; qui vero quid sorbe*

re non poterant; illis offerebant pocula, quæ cum vsu seruarent & copia; tamen sub quadam ęqualitate, non excedentes necessitatem, in potu etiam meratiori seu dilutiori, porgebant. Verumtamen hoc videtur cognitu dignum, quibus in affectibus non prosunt iura, & potiones, quia cum offeruntur excitantur febres cum langoribus & fiunt fortiores. Ideo notum sit, quod illud, quod offertur, tale; & morbo incrementum & corpori exitium esse. quod cum ita sit; dicimus quod siccus victus vt est panis, & si in parua etiam offertur portione, morbus in decuplo crescit quàm cum sorbilia offeruntur; neq; aliam ob causam morbus sit grauior, nisi propter vehementiam alimenti, quod est contrarium saluti, in affectibus, nam cui iuscula prosunt, illi solidorum vsus obest edulium; qui si ederit vltra modum quicquàm, magis afficitur. Ideo causa discriminis huic ascribatur cibo; quia durus ac solidus cibus vehementer, manifestę etiam inficit, & saluberrimum, nedum valetudinarium. quid tandem monstratur magis nouum illum excogitasse qui nuncupatur medicus, atq; artifex illius artis, quam omnes confitentur, & conspiciunt. Quę operæ manuum conficitur. Medicus demum inuenit modum viuendi, victum etiam & alimentum per commodum languentibus, instar illius, qui primus seu ab initio sœculi viuendi modum, alimenta, atq; edulia qui-

bus vtimur cunctis inuenit hominibus, & semouit ab agresti ac victu ferino : mihi certe eadem ratio videtur atq; inuentio consimilis, quod æquidem omnium solidorum ac fortium vsu, potens etiam natura hominis & salubris vti cupiens, atq; eu superare volens, propter duritiem rerum, & naturam agrestem efficere non poterat. alter autem cupiens omnibus vtique occurrebant, illi ac superior esse haud consequebatur optatum, ideo inuenit artem quę docet aufere cibum & subtrahere alimentnm vel minuere: quid igitur a priori difert modo, nisi quod illud fuerat maius genere ac diuersitate, maiori tandem opus fuit illi, & magisterio, fuit namq; initium quod fuit olim, si quis vero saluberrumorum atq; egerrimorum comparet almentum comperiet cibum ferarum magis noxium valetudinariis quàm sanis esse, quoniam, si quispiam afficitur haud nimium graui langore, seu per oppositum; atq; edat quibus salubres vescuntur, quippe reficitur, vt est panis, caro, & similia, haud multum lædetur, quòd si quis sanus & fortis admodum comedat quę iumenta edunt, vt est orobus ordeum & reliqua quibus pascuntur, fortius lędetur quàm si ea æger conglutiuerit quæ sunt alimenta sanorum. Demum cuncta hęc perbibent hanc esse artem medendi, dum hoc quęritur ordine quo posset inueniri; quę si essent simplicia, vt arbitratur & narratur, instar om-

nium fortium nocerent, quę vero per oppositum, non essent fortia, morbum alerent atq; illi prodessent. quod esset opus leue. quod enim potens est, haud tute sumitur, ideo fugiendum est. præterea non minus quis errat, seu leuius lędit hominem, dictis, qui serius offert aut minus quàm debuerat: plurimum etenim fames atq; inedia obsunt et forti & infirmo. prętere ex plenitudine, plura etiam nascuntur discrimina; quæ haud minus dictis sunt molesta; ideo hæc tam varia egent maiori consideratione, omisso rerum pondere vel mensura. quoniam hęc respiciunt solummodo, humani corporis sensum, quare, haud facile est adeo exacte rem cognoscere, vt ex aliquo latere non fiat aliquantulum erroris, quamuis hunc ego medicum vehemẽter laudo, qui paululum in his rebus errat. quod vero fit exacte ac veritati simillimum, raro fit scienter. qua propter plurimi medentium, in rebus dictis per similes videntur esse, malis nauium magistris, qui in mari absq; ventis errant, quorum & si prius non constet error quàm maris procella cum nimboso orione aggreditur illos; tũ enim manifestum est, ni succurratur cum naui perituros; haud aliter, quidam medentium, studentes leues etiam morbos languentum cõprimere; grauiter peccant in delendis illis, atq; efficiunt lętales quia propter errorem, leues affectus frequenter fiunt morborum grauissimi. In quibus peritiores,

eum delinquunt, hoc, tironibus, & in expertis non fit notum. Cum vero graues morbos patiuntur homines, tum medentium errores cum arte, omnibus fiunt notissimi. Etenim citissime apparet cum obeuntium langore. Quoniam ex in portuna inanitione haud leuiora discrimina oriuntur affectis, quàm ex ciborum vbertate, quod salubres probe indicant. quibusdam enim semel in die confert alimentum, quod cum prodest, sic ali statuerunt; quibusdam summo mane edere confert. eandem propter causam; itaque differt victus horum. quibusdam enim hoc accidit propter voluptatem illis imperantem, quidam alterutro quidam vero vtroque modo victui student, plurimis autem hominibus nihil prodest, quinimo, student rerum ignari semel vel bis edere debeant. mane vel sero reficere corpus, atque hac seu illa consuetudine vti. preterea extant quidam, qui ab assuetudine decedere non valent. & si contrarium esset illud eorum valetudini; ideo horum quibusdam prodest alternis diebus vti alimento, aliter etiam mutando, namque grauiter languescunt, quoniam si tales; ederint summo mane, non prodest illis, quia cito fiunt grauiores; magis languentes ac torpentes, pigri corpore & male sani, quoniam & sensus omnes inficiunt, oscitantes etiam ciunt sternutamentum, sitiunt quoque; & si desuper gluttiunt cenam, fiunt tumentes, itaque præ angusti-

torquentur flatuosos spiritus emitentes per anum; quod, quibusdam morborum fuit grauissimorum initium, maxime si deglutiuerint bis quod semel edere consueuerant. præterea si quispiam mane tantum refici consueuit, atque illud semper non seruauerit, tempus, certum est quod ille incidet in langorem ventriculi, atque animi defectum & oris amaritudinem; huic & oculi ceruleo colore inficiuntur, is & lotium crassum solet emittere; huic cruciantur intestina atque oculi caligine teguntur; expergiscitur ira, laboriose anhelat, & languescit. atq; hęc omnia ideo patitur quia tempus edendi non seruat, cum vero refectioni studere incipit vespertine, vesciturq; edulibus, quibus, dum pranderet, ventriculo souebat, edere ea non potest. quæ cum deglutiuerit, crutiat ventriculum, desiderium edendi sternendo; demum tales laboriosam exoluunt noctem cum insomnijs horore plenis, quia apparet illis plena furore, quod, quibusdam langoris fuit initium. quod, propter quid accidit cogitato; quia hoc accidit illi, qui semel edere consueuerat, quoniam non seruauit consuetudinem, dum externum ventriculus, penitus non concoquisset cibum, nec vacuus esset illo; sed adhuc onus gerenti, nouus labor superuenit. ij tandem ventriculus valde serius concoquit, egetq; longiori quiete; qui vero summo mane edere consueuit; nec tamen sumpsit cibum cum

primum eguit illo, quia priorem decoxerat, inedia confestim solet cruciari; verum, cuncta quæ huic ascribo, egestati edulium conscribo; Cæterosq; omnes qui biduo vel triduo cibo parcent, eadem fateor posse pati, quę patiuntur qui ab assueto corpus abstinent prandio. hasq; hominum temperaturas, quæ celerius soluuntur errore cæteris fateor imbecilliores esse, quia magis afficiuntur dum insuetis corpus exercent. quod cum sit inarte difficillimum haud facile consequuntur verissima in arte. multa enim sunt in arte medendi quę magno etiam studio ac solertia consequi non possunt, de quibus inferius ratiocinabitur. propterea nec arbitror, hanc artem, velut per quędam primordia haud recte excussam seu quæsitam esse, neq; abijciendam, & si omnia non contineat quibus indiget quinimo fateor diligentius amplectendam esse, quoniam veritati est proxima, quia cogitatio, mens, sensus, ac prudentia, est via ad hanc artem. Et quanto in rebus magis dubiis ac magis ignaris versatur, tanto magis eam mirari debemus; itaq; quæ in ea inuenta sunt, vt recte inuenta, laudari debent, nec casu seu fortuna comperta esse putandum est. Tamen ad illos iam meum vertam sermonem, qui noua quadam via & argumento hanc artem perquirunt; Dicentes, si calidum vel frigidum, seu siccum, aut humidum sit quod inficit hominem; qui rite vult

mederi auferet frigido super auctum calorem & calido immensum frigus atq; humido siccitatem infectus tandem sic haud erit fortis temperature, sed ebetioris. Et qui frumentum comedit crudum vt ex area legitur, aut carnes incoctas, vel aqua corpus temperat, quibus dum vescitur alimentis diu certum est quod grauissimis succumbet affectibus plurimis itaq; morbis inficietur, fietq; roboris inualidi nec decoquet in ventriculo alimentum; tandem is breui poterit occumbere; verumtamen huic quod præsidium parandum erit, calentis, vel frigide seu sicce, aut humidæ proprietatis. Tamen simplex, & vnum est proprietas queçunq; sit ex dictis, quç inficit illum, ideo oportet discutere eam, & proprio contrario ut ratio suadet; igitur certissimum est quod alimentum ex frumento quo hactenus vtebatur genus, mutandum est; & loco eius vtendum est pane, coctis carnibus pro incoctis; & super hæc vino ventrem diluere, quod si fit salutem infectus recipiet, nisi penitus ex longo alimento tali fuerit consumptus. quid autem huic prodesse eferemus, calentia ne si frigore infectus erit, seu per oppositum arbitror, quod haud modicum ambiguitatis ostendam illi quem interrogabo. Num qui fecit panem frumentaceum, subtraxit humidum vel siccum, frigidum, seu calidum. quod enim igni & aquæ ascribitur plerisq; alijs imixtum fuit.

quorum singula seruant propriam facultatem. Tamen quædam permixta perdunt propriam naturam, nam ab admixto superantur; quoniam & hoc certe scio, panem multa seu modica aqua collectum, plurimum differre in corpore humano præcipue si fuerit valde coctum, vel admodum crudum; itaq; de alijs plerisq; haud aliter dicendum est; Cum rerum singularum fiant, et singulæ facultates inuicem dissimiles; Itaq; qui hæc talia non considerauit, non perspicio quo modo is aliquem affectum in homine possit discernere. Singulis & enim horum afficiuntur homines & inficiuntur aliquo modo. Iis etiam edulibus salubriter seu viuitur insalubriter, vel ijsdem amissa recuperatur salus. Quare non parum interest horum cognoscere differentiam. Ideo qui talia considerant, recte videntur cogitasse, vt cognoscerent quantum hominis conueniunt naturæ, quam considerarunt qui hæc principio inuenerunt, hancq; artem iudicarunt dignissimam esse, quam et deo gratissimam esse putarunt, neq; siccum, aut humidum seu calidum, siue frigidum, vel quid simillimum ijs succis, inficere posse estimarunt, neq; horum aliquo indigere hominem. Sed quod superaret naturam hominis, illud posse ledere arbitrati sunt, quod, & subducere studuerunt. Quia in dulcibus potentissimum est, quod est dulcissimum, & in amaris quod est amarissimum, &

in acribus quod est accerrimum, atq; in rebus singulis quod est, quod excedit alias qualitates, quod videtur & in homine esse, atq; eum posse ledere. quoniam in est homini amaror, salsedo, dulcedo, succus acer, asper, acerbus ac lenis, & pleraq; alia quæ pro magnitudine rei & virtute diuersas & vires possident. quæ cum inter se sint mixta, quinimo confusa non dignoscuntur, neq; inficiunt hominem. Quum autem quispiam succorum in-[illegible]rem separatur, propriam naturam recipit, tum certum est quod hominem lædit. Edulia autem quæ nobis non conueniunt, si deglutiuntur, obs sunt, quorum cum quisq; per se sit, salsum est, seu amarum siue acre vel quid simillimum. Ideo inficimur istis ac concutimur, instar illorum quæ male coquuntur in nobis. Verum quæ edit homo seu bibit, vt est panis & vinum, dictas saporum qualitates commixtas habent. tamen non vt non mixta gustantur, at glutiuntur de voluptate gustus ad saturnitatem, quorum, & si quantitas conglutitur non fiunt molesta corpori, & si plurimum possunt in corpore. quoniam ab huiusmodi alimento crescunt vires & corpus augetur, quia talia plurimum alunt. hocq; efficiunt hanc propter causam, quia sunt optime mixta, nullumq; ex dictis per se saporem habent; nam vnus quisq; ex dictis simplex & vnum est corpus. propterea ambigimus, quo modo, qui ferunt talia meden-

tur hominibus ipsamq; artem ab hoc ordine ad materiam ducunt, cum nil inuenerint ipsi vt arbitramur. quoniam sponte & propria natura, hoc est calidum, aliud frigidum, hoc vel siccum vel illud humidum. Nam *cum quidam medentum languenti calidum quid offerri imperasset, cunque statim interrogaretur quid esset illud, nisi ad aliquod ex ijs conuersus esset visus foret delirare; sin autem quod calidum est forte fortuna acerbum sit seu lene vel molle, vel humidum, at non vehementer, calida namque multa sunt, quæ inter se possident diuersas vires. itaque scrutandum est, si quid ex ijs offerre oportet, vel exhibere quod est calidum vel acre, quod ue stipat seu lenit aut molliat, aut frigidum, quia frigida ijsdem sunt præstantiora.* Verum *vt sentio ipse, perhibetur oppositum non tam in homine, quàm in pelle, & ligno, alijsq; plurimis, quæ minus sentiunt homine, hoc tandem vsu venit. non enim est calidum quod vim caloris magnam possidet, sed quod est acre vel lene; & quod possidet alia quæ retulimus, quę & homini insunt & extra comperiuntur, quæ comesta vel pota vel deforis illita, hoc videntur efficere; quæ dum calorem aut frigus excitant in corpore, suis virtutibus propterea arbitror haud multum posse, quia hactenus frigidum ac calidum sunt mixta, non obsunt; quia mixtum, frigido, et calido est quoddam temperamentum, cum autem secernuntur*

tem secernuntur obsunt. quoniam dum frigidum ima petit, Turbat. quia calidum quod est ibi confestim occurrit illi in auxilium corporis, nullo indigens alio fauore; quod tam in egerrimis quàm in salubribus efficit. Quod si quis salubri vita fruens, rigente bruma infrigidat corpus, abluens illud aqua frigenti, seu aliter hoc faciat, quo tandem diutius perseuerat, ni penitus rigeat corpus cum tegitur indumentis, & tecta subit domorum eo vehementius calefit; Quod si fortius estuare voluerit, calenti balneo vel plurimo igne vtatur; post hoc tegatur proprijs operculis demum perambulet locum in quo olim frigus conceperat quia valde fortius friget. quod si quis stratus et eductus ab estuanti loco velit hoc modo corpus infrigidare, multo vehementius aestuabit, quia idem accidit exercentibus corpus niue aut gelu, cum manibus talia tractant; qui per noctem dum teguntur operculis incolentes calentem locum, aestu quoddam laborant, & pruritu vexantur, quibusdam etiam apparent pustule vt exustis igne, quibus non inficiuntur prius quàm vehementer calescant, quia tum hec celerrime conspiciuntur impartibus, restant & pleraq; alia quae afferre possem ad propositum. verum quae spectant ad egerrimos sunt hec; non omnes qui accutissima febre laborant, vehementer calefiunt, que cum accidit non violenter sed partius excitatur,

pulmimo plerumque non est ledens, adeo vt quę diu tius perseuerat in pedibus ferè rigor, semper cessat, pręcipue qui vehementissime riguit; quidam vero per oppositum, cum sudorem excreuerint, et febris desierit, valde fortius quàm à principio frigescunt. Cui tandem tam contraria maxime eueniunt, & cito, quæ per se vires deferunt, quid grauius accidere poterit, vel in hoc langore quid poterit prodesse illi; fortassis dicet quispiam, sed qui ardenti febre, seu vitijs pulmonis siue alio graui morbo corripiuntur, febre non tam cito liberantur, neque hoc calido quod accidit post frigidum. quod, arbitror, maximum esse argumentum, homines propter calorem non corripi febre, neque hoc etiam est causa, cur grauiter laborent; sed quod calidum amarum est, acre, vel salsum, & huiusmodi; Contraque frigus cum alijs viribus nil potest efficere. Quæ vero obsunt hæc sunt; Verum enimuero comparet etiam quis ipsum naturalem calorem, qui plurimum possidet roboris, vt princeps conciłians alias facultates corporis, tamen nil maius congerit quàm quod adest & expedit naturæ, de signis vero principio sunt notissima, quorum omnes olim instructi sumus. Exempli gratia, si quis nostrum inficitur asperitate gutturis, deque naribus patitur stillicidium acre, vehementius vero quàm olim pati consueuerat, vsque ad narium tumorem ac flammam; Quibus

dum admoues manus, comprimendo vlcerantur na-
res. Quia nares, & nasus nec carne teguntur neq;
duræ sunt. At his narium fluor, componitur cum
succus stillans crassior efficitur, tum enim, et ardo-
res & fluores desistunt narium. Quibus vero acci-
dunt hæc propter frigus, inditia nota sunt ex fri-
gore, quoniam aliud quàm frigoris signum non
accidit quod componitur per caloris concitatio-
nem. Quia sic affectus frigidi ocissime recedunt,
alio quouis medico remoto præsidio. Verum cun-
cta alia quę succorum acritate seu intemperantia
fiunt, arbitror, quod, haud aliter curantur, nam
si secernuntur, excoquuntur, & sic componi so-
lent. quod autem stillicidium temptat oculos, dum
acerbum fuerit inficit palpebras quibusdam, &
genas exulcerat atq; alijs sub oculis partes turpes
reddit, & quo circa aciem tegmen consumunt
& grauissimos concitant dolores. Tandem his
etiam fluor tum deficere inchoat cum crassior red
ditur ac magis sordidus, quod tum fit cum succus
in seipso coquitur, & fit temperantior; quod si
descendit ad fauces concitat raucedinem, nonun-
quàm, & singultum; promouet anginam, sacros
ignes, atq; erysipelata, & causam difficultatis
spirandi, & plerosq; alios affectus pulmonis hij
tandem fluores, principio mouent quid salsum,
acre, vel amarum, affectus grauioris. Cumq; fluo
res fiunt mitiores, & acuitas temperatur, tum

etiam et febris & quæque accidentia fiunt mitiora, quia talia erant causa præfatorum morborum omnium. Quæ dum concitantur inficiunt corpus, cum vero temperantur seu alterius succi naturam suscipiunt non inficiunt hominem. Praeterea omnes morbi qui grauiter hominem comprimunt, nascuntur ex vitio succorum, & illorum malis qualitatibus. quod tum fit cum succus amarus dispergitur per corpus; & est flaua bilis, cuius inditium est lasitudo, Aestas, cum debilitate virium. Conualescunt autem homines cum sponte excernitur, vel educitur medicamento. Quę dum fiunt opportunæ liberantur homines. verum dum bilis furit, langores non componuntur infecti, neque febris. Quos autem acer & viru abundans humor infecerit horum viscera cum intestinis lacerantur morsibus, & pectus inficitur langore, cum defectu animi, nec prius curantur quàm auferint purgamentum vel quæ molliunt bilem & crassiorem efficiunt, & ad bonum succum reducunt, quod multis medicamentis. efficitur. quapropter, & dies decretorij, & inditia, & quoque temporum numeri in his possunt plurimum, ideo non est dicendum, horum omnium calidum vel frigidum, causam esse, videlicet, vt inficiantur cum hęc non putrescunt vel fiunt crassa. quid igitur dicemus, nisi temperaturam humorum cum viribus inter se dispares fuerint, nihil enim calidum, quàm fri-

gus, & frigidum, quàm calidum componit, dum admiscetur. Cętera etiam omnia in homine quo pluribus miscentur, eo sunt mitiora, tum vero bene valent homines, cum concoquunt & digerunt & quiescunt. quoniam haec sunt hominis naturae offitia prę stantissima; pręterea quidam medici, & sophistę aiunt fieri non posse, quòd quisquàm recte sciat medicinam, nisi noscat quid sit homo, quo ue modo sit factus in principio, & compositus. Quę tamen & sophistę, & medici dicunt de natura hominis, vel scribunt, puto ea minus conferre arti medicae, quàm picturae, quoniam arbitror nusquàm aliunde quemquàm scire posse de natura hominis quàm ex arte medica. quod facile noscetur cum quis totam medicinam rite comprae henderit, quam plurimi nouerunt hactenus vt mihi videtur; hoc autem vere fateor, quid sit homo, vel quas propter causas gingnatur: necesse est etiam diligenter scire plurima alia, quãobrem mihi quidem necessarium videtur, vt qui se medicum profitetur, qui ue putat se, quid boni facturum naturam hominis resq; omnes optime noscat ex ordine ijs quae praecipue studeat, quae eduntur, & potantur quid habent commune cum homine quid ue ex his omnibus cuiq; accidere possit, neq; fiat hoc quoddam modo simplici, vt est hoc; caseum edisse pessimum est, laborem enim infert illis, qui se expleuerint illo, at quem nam laborem seu do-

lorem, quàm ue ob causam non licet omnibus hominibus eum edisse. nam pleraq; mala sunt potu, & esu propria natura, quæ non omnes homines pari modo afficiunt. Ideo hęc percurrens exponam. Vinum temetum dum meratius et copiose bibitur imbecilliorem efficit hominem. quod cum omnes videant, hanc esse naturam vini, & vim confitentur causamq; imbecilitatis idem vinum esse. vinumq; noxium esse membris quę homini insunt, vt est notissimnm. neq; aliter dicam de rebus reliquis. Caseus autem quia hoc exemplo vsi sumus nō omnibus hominibus est noxius, quia comperiuntur eo repleti nihil pati; quinimo mirum in modū exesis vel cōsumptis prodesse dicitur, tamē cōperiuntur qui grauiter cōcoquunt caseum, quia contrarius est internis partibus hominis. verum inquibus est consimilis succus, illi caseo plurimum iuuantur. Sin autem pariter omnibus malus esset, omnes ex ęquo lederet hęc vero dum quisq; cognosceret, nunquàm quicquàm mali pateretur, quędam etiam accidunt in illis a quibus recedunt morbi; sed plurimum committitur indiuturnis morbis, tum sponte cum casu, & si temere etiam quid editur. ipse autem vidi quàm plurimos medicos qui vt rudes inciderant in eundem errorem. In quem, & morbidus, verbi causa, lauando corpus, vel ambulando, vel quid insuetum edendo, quæ, cum nescirent noxia vel profutura essent, rem

vero omnem exponebant ex ordine, quia veram ignorabant causam, quod fortassis valde contulisset illis remouebant, quod vero obesse poterat offerebant, quod non decet, debent autem scire balneum non ad motum oportune quid faciat, quid exercitium, quia horum ab vtroq; idē malum non prouenit, nec ex nimia societate, vel ex iis, vel ex illis edulibus. quisquis ergo non nouit hæc; vt singula spectant ad hominem nesciet quę fiunt ex iis; neq; vtetur recte; quinimo videtur necessarium, vt hoc quoq; sciat, qui morbi inficiunt hominem. ex viribus vel facultatibus rerum, formis que aut figuris. Verum fateor hoc, vim succorum esse, formas autem appello atq; figuras cuncta quæ insunt homini, quædam namq; sunt caua, quędam lata, & in arctum desinentia, quædam extensa quędam dura vel solida quędam sphærica, quędam pendentia, quædam distenta, quædam longa, quædam rara, quędam etiam densa ac surgentia. videndum est autem, horum omnium quę magis trahunt succum ad se ex remotis, Caua ne vel densa dura ue, aut sphærica vel angusta; Ipse autem arbitror quod sint partes, illę quæ ex cauo, & lato desinunt in angustum. Tamen hæc obseruare oportet ex his quæ extra apparent, nam cui semper patet os, nihil ad se contrahit humoris dum vero contrahit, comprimat, os & stringat labia; quod si fistulam ad mouerit magis trahit,

& quod volet, quod, perhibent cucurbitulæ admotæ, quę ex lato in angustum descendunt, ex arte fabri; & sic ex carnibus sugunt humorem seu quid aliud, multa etiam alia huiusmodi instrumenta comperiuntur, quę vt euellerent trahunt. Natura vero, ac forma eorum quæ insunt homini, est caput, vesica, & mulieris vter hęc namq; pręceteris trahunt, ideo succi semper sunt plena, cum enim sunt caua, & extensa defluentes succos maxime continent, verum membra hæc non trahunt ad se ęquo modo neq; euellunt vt dura, & sphęrica nec recipiunt quod defluit, labitur enim succus cum non inuenit detinentem locum, rara autem & spongię simillima, vt lien pulmo, & mammę cũ firma sedent maxime sugunt, duriora fiunt augendo pręcipue cum accesu humoris. Cauum.n. membrum extra se non habet locum, quo defluentem succum recipiendo contineat, quia ventriculus, sedes est concaua quę humorem recipit, quotidie etiam cogendo emittit; verumtamen pulmo atq; lien sunt membra vacua, rara, quę aduenientem succum recipiunt ac detinent, fiuntq; dura cum prius rara, & mollia fuissent; Tamen neq; concoquunt, neq; emittunt humorem quod accidit illis propter naturam formę; quęcumq; vero flatu distendunt, molesta sunt cum fuerint intra corpus, at in membris latioribus magis cruciant; vt est ventriculus, Thorax cum ventre. Quod

quidem

quidem cito haud componitur, vel consistit, sed mutatur ingrauius, fortius agitando. Atque carnosa sunt ac mollia, corpore plena sunt, atque in illis succi mali paratur talis intemperies, qualis solet fieri in iugulationibus vel intumoribus gutturis. Cum vero prorumpit *succus in latiorem locum, qui propria natura non est adeo constans vt obsistat acutis fluoribus, neque est adeo tener vel rarus, vt subijciatur, nec sanguine exuberans & densum, vt est iecur, quod, propria densitate & magnitudine resistit, nec subijcitur; cum vero flatuosos spiritus recipit augetur, rediturque fortius, obstando repercutiens, quod absque labore non potest esse ob teneram suscipientis naturam, & sanguine pollentem, propter quod, & creberrimi, & acerrimi dolores fiunt in ijs membris & abscesus, & praecordiorum langor quàm uis non adeo vehemens ob praecordiorum latam regionem & robur impropellendo, praeterea natura neruorum so ida ac fortis est, ideo minus est obnoxia langoribus quàmuis in eisdem quoque, et dolores, et abscesus fiunt, species vero formarum seu figurarum, intra sunt, non extra hominem, quae faciunt maximas morborum differentias magis in salubribus, quàm in infectis, vt est caput paruum, vel magnum ceruix gracilis seu crassa, longa vel breuis, ventriculus protensus aut sphericus; Thorax latum vel angustum, atque alia simillima, quę*

cuncta scire necessarium est ut differunt, quæ cum noueris recte considerabis singularum causas; de viribus autem succorum omnium, & singulorum, quid possint efficere in homine obseruabis; præterea considerandum est, ut dictum est superius, quantum inter se conueniant, quod autem effero hoc est, sit ne succus dulcis per se, vel per alterius mixtionem, transeat ne in alium, quis ue maxime sit, amarus vel salsus, acerbus vel acer, vel qui cæteris præponitur, ut datur. Dulcem dicemus esse commodissimum naturę humanæ; neque aliter rem consequi poterit, nisi hoc modo obseruando exteriora, & perquirendo, quæque eligendo præstantiora, namque ea sunt meliora quę paululum, & à commodissimis, & à iucundissimis humanę distant naturæ.

FINIS.

EX HYPPOCRATIS TRACTATU DE DIEBUS DECRETORIIS EPITHOMÆ.

MICHAELIS ANGELI BLONDI.

DEcretorius dies est; in quo decernitur quid sit futurum de morbo; & quomodo tractandus sit æger. quia tum longus vel breuis fere iudicatur. quæ cum hoc ordine obseruauerit medicus, ferè, nunquàm in morbis, & languentibus errabit, sed prudens iudicabitur ab omnibus. At de quibusdam tendentibus in melius, quàmuis pauca, scribemus. quę vero semper saluberrimam salutem indicant, sunt hęc.

Sudores optimi sunt qui per vniuersum corpus, effunduntur; morbum enim efficiunt leuiorem. Qui vero tales non fuerint inutiles sunt.

Excrementum vero tendens ad crassum, morbo præenuntiat decretorium diem. Cum tamen non fuerit valde crassum, vtile, et salubre iudicatur. Idem dicitur de lumbricis exeuntibus.

Lotium etiam dicitur optimum, quod defert sedimentum candidum lene limpidum & æquale, ad de-

cretorium vsq; diem, quia inditium est breuitatis morbi. Sin autem sudore stante morbus decedit, lotiumq; rubrum fuerit, cum sedimento albo, eodem die febris reuertetur, at quinto die absq; discrimine decernet.

Qui vero breui salubres futuri sunt, ijs optimum signum est, quia minori cum labore transeunt, per noctem quiescunt cęteraq; signa apparent tuta.

Qui capite dolent, in febre non lętali aliaq; signa circunstant in ijs dominatur bilis; quosq; primis diebus dolor is aggreditur; hij quarto die ac quinto vehementius cruciantur, septimo vero die liberantur febre. nam multoties febres statuunt, totidem diebus, morbidi, sint ne euasuri vel perituri.

Febres leuissime, sunt contemnendę accedentes cum bonis signis, quia die quinto, vel prius desistunt.

Lętales vero accedentes cum signis grauissimis in quarta vel prius interficiunt.

Primus quidē accessus sic explet terminum secundus producitur ad septimum diem.

Tertius ad vndecimum, Quartus ad quartum decimum. quintus ad decimum septimum, sextus ad vigesimum. Atq; accessus ij fiunt per quatuor vsq; ad viginti, Et si in acutissimis morbis, omnino exacte per quatuor non potest numerari integris diebus; quia nec anni, vel menses integris diebus exacte perficiuntur, nec in febribus ardentibus, si fiant optima signa, persistunt; vt in salutiferis;

Quemadmodum scriptum est.

Si vero lotia non fuerint bona, sed clara, & subtilia indicant futuram intermissionem die tertio.

At crassiora postridie, crassissima vero eadem die.

Sin autem in febribus ardentibus post septimum apparuerit icterities, sudoris non est inditium. quia morbus is non consueuit eflare per sudorem, neque alio declinare nisi ad salutem. Cum enim recedit calor, trahit secum humiditatem, tunc necessario morbus decernit, & lotia vel excrementa ventris, vel fluor sanguinis e naribus, vel copiosum lotium propter copiam humectationis, sudores vel vomitus sequuntur, & in mulieribus mensium canales aperiuntur. Quia hoc potissime in illis decernit; vel quid simile mensibus, verumtamen illud minus decernit; Morbus vero Regius si accedit celerius vel serius septimo, eycit sputum cum labore, quod, nonunquàm fit, & in alijs febribus.

Quod si febris recesserit, nullo ex dictis signis apparente, necessarium est, loco illorum hæc decretoria fieri, Abscesus scilicet magnos; vel dolores graues ex tuberositatibus, vel humido calore temperari.

Cum febris ardens decernit interimit.

Cum langor fortis aderit oprimit, est enim lætalis plerumq;.

Aliꝫ autem febres ardentes tutꝫ sunt, quia mitiores, quoniam septima vel quarta, vel decima rece-

dunt, & si quendam langorem dimittere consueuerunt.

Qui diebus quadraginta febrem patitur, is, & afficitur & solatur quinimo eodem die morbus, & accedit, & recedit cum frequenti dolore capitis, verum cum langor is non desierit in quadragesimo, nec capitis cruciatur dolore transiet in delirium, ideo vtere purgamentis, in ardenti vero febris recessu, si superuenerit icterities, languidus non sudabit amplius quemadmodum nec alia secernit, sed quartanus plerumque, post septimum circuitum sanus fieri consueuit.

Quibus in febre vehementi septimo vel nono, vel decimo apparuerit morbus icterus, non est bonum, nisi dextrum præcordium durescat.

Tamen graues morbi, & acuti nonunquam decernunt, bis septem diebus.

Sudores cum accidunt febribus tertianis, quintanis, & ad septimum, vel ad nonum, vel ad vndecimum diem procedentibus, & quartanis, & decimanis, & illis quæ per vnum, & vigesimum seu per mensem cruciant, componunt langores, quibus vero non succedunt graues minantur passiones.

Sed vrinarum concoctiones cum fiunt diebus decretorijs perfectę soluunt langorem, vrinę vero, sectis partibus ictu, aut vlceribus non sunt comparandę. Quia dum secte partes euomunt pus albidum

ctiſſimam præſagiunt ſalutem, ſin vero pus verterint in ſaniem, praua efficiuntur vlcera; Haud aliter, & lotia dicent.

Cum autem vrinæ ſunt tenues abſq; cauſa nocius efficitur morbus.

Sin autem & langor accedit, qui neq; cito, neq; etiam ſero recedit portendit exitium. Quoniam cauſa eius adhuc tenetur in corpore ideo ſalubribus ſignis alijs non apparentibus vt oporteret, non eſt cenſendum, morbum adhuc ſtratum eſſe; puta ſi dolet capite, dicendum eſt quod febris adueniet, & hactenus procedet dolor is, procedet & febris, quando autem dolor is comprimitur, confeſtim, & febris deſinit, plurima tandem horum quæ prænunciant ſalutem, ſunt hęc.

Si præcordia tument abſq; dolore, ſed dum premuntur tactui cedunt; ſerius verum abſq; timore decernunt. Haud aliter eſt alijs de tumoribus, quia contrarii præſtantiores, qui in diuerſis partibus corporis apparent.

Lotium etiam dum non eſt clarum cum ſedimento albo ac leui ſerius decernit, lotio bono, & maiori cum diſcrimine.

Sin vero lotium ruſum cum ſedimento leni fuerit, hoc etiam, ſuperiori, pigrius, verum penitus eſt ſignum conualeſcentię.

Quando ſuccedunt articulorum langores, vel podagra nonunquam diebus quadraginta ceſſant eo-

rum calores, & si hæc protenduntur; verumtamen plerumq; tendunt in melius. Quæ vero indicant exitium, per noctem diemq; tantum decernunt.

Inditium *strate virtutis est abnegatio alimenti potusq; tam medici, quàm alterius, vel eius incontinentia ventriculi; Verum per supernum os eiectio, & defluxus per aluum, ac sitis in pacientia, bonum est signum, dum hoc per diem integrum desierit; sin autem, exitiale iudicabis.*

Gelidus *sudor nequissimus est, velut qui proritat circa fauces & ceruicem; nam obitum vel morbi indicat diuturnitatem.*

Excrementa *varia longioris morbi sunt signa, quàm nigra, cętera vero lętalia, tamen pessima sunt hæc, tenuia et micis lignorum similima quas serra efficit seccando, feli consimilia, viridia, cruenta & nigra, tum multa cum pauca, diuisa conspiciens.*

Cum *pus mingitur absq; fece, habens sedimen album & lene indicium est longitudinis, ast non adeo tutum, vt optimorum lotiorum est.*

Sin *vero lotium rubrum sit ac tenue diuturni morbi indicium est, tamen verendum est ne hebes perpeti possit affectum donec venerit ad statum, Cuius dum apparuerit inditium ęstimabis, cum vomitum, tum abscesum futurum in imis pręcordijs.*

Cum *lotium in febre mutatur, tempus significat, quoniam*

niam hebes vel in deterius vel in dubium mutatur.

Dum locia non assimilantur primis, dumq; e crassis fiunt subtilia male decernunt, cum leniora producunt morbum.

In quacunq; parte corporis, vel calor, vel frigus, illic, & morbus erit.

Dum quis vniuerso corpore super calefit, vel frigescit, prepediem mutabitur.

Dum corpus modo fit calidum, modo frigidum, Calorq; de vno in alium mutatur longum indicat morbum, atq; indicat humiditatem.

Dum febriens superfunditur sudore, diuturnę febris est indicium.

Saluber si plurimo superfunditur sudore morbi signũ est, verum estate minoris rigente vero bruma maioris futuri, quem cum dimiserit, per aluum excernet tenuia quædam, si modica, breuis erit morbus, si plurima, grauis, & longus, quibus sublotiones alui prosunt.

Qui plurimam excreuerit bilem, magis afficitur, pau cam excernenti.

Cum pulsitant, vultus fit ruber, præcordia turgent, morbum indicant diuturnum, qui non absq; conuulsione, vel vberrimo fluxu, sanguinis narium vel maximo dolore discutitur.

Venarum pulsus magni in manibus diuturnę febris sunt inditium, & breues etiam, declinantis vero in deterius, suntq; preceteris qui mortẽ portẽdũt.

G

Qui cito sunt perituri, ijs maxime signa sunt, per exordia, quia vix spirant noctu non quiescunt, indicia etiam longę ac continuę febris apparent atque exicialis.

Si quarto vel septimo non cruciatur, vndecimo non decernet. Nonunquàm verendus efficitur.

Qui Tetano corripitur cum febre in quarta occumbet, quem si transierit sanus fiet.

Si morbus ictérius cum ardenti febre fiet, et superaddérit singultus, quintoque die eadem apparuerint, deficiet.

Qui, cum non febriunt, plurimum vigilant laboriose quiescunt, vel robur corporis afficitur, vel de singulis queritur membris, malum est.

Quibus febres recedunt salutaribus signis non praecedentibus, decretorijs diebus, atque in febris recessu sudor aduenerit, Locium rufum sedimen album habens, mingat, iudicabis eadem esse febrem reuersuram esse, haec autem die quinto absque discrimine decernet.

Preterea cum post diem decretorium rufum locium minxerit cum sedimento rubro, iterum febriet eadem die, pauci tandem ab hac reuersione seruantur.

Cum febris ardens redit sudorem ferè semper elicit, praecipue si rediens dimidijs diebus, veluti prius, corripiat, nonumquàm ter redit ac corripit, ni in reditu, die impari dimiserit,

In coƚƚo socio aliisq; inditijs non rite precessis die decretorio redibit.

Tumores qui fiunt post aures die decretorio, dum non molliuntur, sed euanescunt, morbus reuertetur, qui incircuitu affligunt, verendum.

Sin abscessus appareat in articulis, locium vero si fuerit album quale mingunt quartana laborantes abscessu hoc liberantur, quibusdam etiam fluit & sanguis ex naribus, quod quartanarijs non est salutare, quibus dum pus exierit curantur.

Infestis atra bili, & mente, optimum est, profluuium sanguinis.

Qui furiunt, vel sponte morbo fiunt liberi, vel si pedibus vel thorace laborant, vel tussis aspera superadderit, hanc discutit insaniam, dum tamen nil acciderit horum, per seipsum recedet furor; sed visus sequetur amissio.

Qui balbutiunt, liuidis labris linguam non comprimentes, cum desinit hoc, Tabidi fiunt, soluit autem hoc dolor in partibus infernis, vel gibositas vel fluxus sanguinis, vel furor, vel morbus magnus, dum fuerit ab assuetudine.

Quibus, in febribus ardentibus superadderit coxendicum labor, vel obumbratio oculorum, vel tumor testium, vel mammilarum, ijs hæc propellit febris, quod efficit, & fluor sanguinis, e naribus, Si grauis morbus ast assuetus aduenerit, furorq; superuenerit morbum repellit.

Quibus tremores aduenium in febribus, eos d. fluit delirium.

Qui surdi fiunt in febre, necessario delirant, febre non expulsa; Quod fluor sanguinis, e naribus soluit, vel demissio biliosorum per aluum, vel inferniorum ventralium langor superuenient, vel coxendicum dolor, vel genu.

Quibus superadderit frigus in febre, febrem discutit.

Quibus cito accidunt dolores, illis suprema tument pręcordia, & extremam costam vehementer afficiunt, quod missio sanguinis per sectionem venę soluit, vel solutio ventris per inferna, quia inualida loca, magna febre non corripiuntur.

Hydropicis cum succus aquosus per venas defluit in ventrem inferiorem vel vesicam, curantur.

Candenti pituita laborantibus, si magnus aduenerit fluxus, soluit laborem.

Laborantem, vehementi fluxu ventris, vomitus spontinus succedens, curat.

Qui ventris fluxu diuturno torquentur cum tussi, non sanantur, donec eorum pedes graui dolore non corripiuntur, nam si eo demittitur naturę fit permutatio, & fluxus desinit, vel inanis cupido egerendi succedit.

Spiritus autem flatuosi deforis flantes, cum adueniunt, remedium est vinum optimum, frigidum oblatum, pitisando, ad concitationem somni vel

crurium doloris, febris etiam, vel intestinorum fastidium, soluit.

Laboranti capite, dum pus effluit per nares vel aures, morbum discutit.

Qui salubres, ex improuiso capite dolent, fiunt muti ac fatui, pereunt die septimo ni febris super acciderit.

Laboranti capite vel alio quo vis loco superiori, admoueto cucurbitulam.

Preterea si coxendica vel genua laborant, spiritalia ue, patiuntur, vel quid simile, discutit.

In morbis oculorum optimus est fluxus ventris.

Neruorum dolorem, & conuulsionem ac tetanum, succedens febris soluit.

Conuulsio si febrienti super accidit, eodem, vel postero, vel tertio die propellit febrem.

Cum quis furit distentis manibus ac pedibus, & venę brachiorum.

Saliunt, vultus rubet, & fit fortis; cum pręcordijs validis; Morbus erit diuturnus quàmuis conuulscio desierit.

Explicit Tractatus primus de diebus decretorijs.

EX HYPPOCRATIS TRACTATV SECVNDO, DE DIEBVS DECRETORIIS EPITHOMÆ.

MICHAELIS ANGELI BLONDI.

ARTIS *huius magnam quippe partem esse arbitror; mente perquirere posse, quæ rite scripta sunt; quia mens, vel is, qui vititur ijs, dum ea recte continet, Arbitror illum haud posse decipi multum.*

Sed principio necessarium est, exacte cognoscere temporum qualitatem; qui morbi, salubres, vel insalubres, timorosi, vel longi, seu lætiferi sunt comitati, an hoc sit in statu temporum, an sit in ipsis affectibus, quod nequàm, quod lætiferi, quod diuturni sint, vel per oppositum.

Ideo seriem dierum decretoriorum, atq; illorum notas, obseruando hæc, poteris, & mente amplecti, & futura predicere, quos, vel quando, vel quomodo pascere debeas.

Potissimũ ergo inditiũ est lãguentũ, qui sunt victuri.

Cum febris ardens, & ceteri morborum, præter natu ram non afficiunt, quia nil timorosum est, in his vel letiferum, quæ ex ordine, Naturæ precedunt, Aliud vero est, cum tempus anni morbo non fauet, quoniam natura hominis plerunque non superat vim totius.

Præterea, si facies, & quæ sunt circa faciem, gra ciles sunt, manuum etiam venæ, quæ in angulis sunt oculorum, vel in cilijs, vel frontis, vel temporis [illegible] quietiores sunt.

Cum [illegible] agitantur, si morbidi, vox exilior sit, si respiratio leuior sit, si die venturo morbus mitior fuerit, hæc quoque seruato, quæ spectant ad decre toriorum, nam in canali seu curuatura linguæ candens [illegible] sedeat, vel eius in parte suprema, quo niam hoc ibi fit etiam, sed diminutius, sin autem hæc fuerint minora vel magis tenuia, die tertio morbus recedit. At crassiora secundo, verum crassissima, primo.

Post modum hæc seruabis in oculis, si per exordia ve hementior fuerit affectus, Albugo oculorum ni gra, quod si pura fuerit, certam promittit vale tudinem, dum vero paululum fuerit clara, serio rem, cum multum, celeriorem.

Morbi graues ex bili fiunt, cum illa iecur petit, ca put repellit, principio iecur turget, post modum precordia, caput & tempora, vehementi dolore afficiuntur, horor & desuper & febris, accidit,

hęc tandem sunt affectis per exordia, quoniam quando desistunt, nonunquàm vehementius, aliquando leuius corripiunt.

Quanto langor fit diuturnior, tanto, & dolor magis afficit corpus.

Et species ac pupillę oculorum dispergun ur. Ideo hebetior factus, visu, prospicit velut sub vmbra, nitorem, etsi admoueas oculis digitum non descernit cum illum non videat, quod comprehendes ad moto digito, quia nil micat, sed carpit uilos inoper culis ratus esse pediculos.

Cum autem iecur profundit in præcordia, multum delirat, & varia aut a ia oculis pręcurere videntur, & armatos nonunquàm homines quibus cum certare videtur, quæ cuncta vt cernens loquitur sic egrediens, si quis non permittit, minatur, dum resurgit, nequit tollere crura, quinimo cedit, verum pedes semper frigens, dum dormit saltat, horrenda cernit insomnia ac formidine plena.

Verum quod per insomnia, vel insomnis, apparens terrefiat, hoc modo cognoscimus, cum expergiscitur quæ fecerit exponit, pręterea patitur nonunquàm deffectum sermonis, per diem noctemq; respirans tantum, seu crebro anhelans, veruntamen post expergefactionem, dum quispiam interrogaret eum, rite responderet, quia cuncta percipit quę dicuntur, meminit dictorum, tamen breui spatio temporis, inidem recidit; Tamen morbus

præcipue

præcipue aggreditur illum, qui peregre proficiscitur, vel solus secum deserta obambulat.

Occipitur, & aliter neruorum defectus, et mollimenta eorum sunt trium generum, quæ si accidunt in secto ictu, dicto afficiunt modo, gene cum maxillis vnà, fiunt duræ atque hærentes videntur in soliditate quadam, os arctum tenet, oculi crebro lachrimis rorant, atque trahuntur ad intra, frons, ceruix dorsumq; rigore afficiuntur, Brachia, spinamq; dorsalem pariter cum cruribus flectere non valet.

Cum vero letalis est, poculenta, & osculenta quibus reficitur nonunquàm perfluunt, e naribus, neruorum, etiam contractio ad posterna, pleraq; alia multa, afficiunt illum, qui tum demum torquentur cum nerui ceruicis afficiuntur, seu angina vel faucibus quis cruciatur, quibus dum, & a capite descendit hoc non vnquàm, & conuulsio post febrem accidit, quibusdam præfectis partibus posternis, distrahitur dolore crucians corpus rigenti, thorax sonitus redit, nonnulli vero adeo vehementer afficiuntur, vt astantes vix detinere possint eum, quin non cadat, e strato.

Tamen distensio neruorum recta, minus est letalis dictis, quæ ab eisdem oritur causis, vnaq; corpus vniuersum distrahitur.

Febris autem ardens propter dicta non fit, quoniam est huiusmodi naturæ cum plurimum eggredi-

tur, accendat, sed vberrima siti cruciat hominem, & vehementi feruore torquet.

Lingua aspera vix mouetur, & per exordia luteo inficitur palore vt consueuit, crescente autem morbo temporis in processu fit magis nigra, cicius tamen decernit si fit hoc seruis.

Langores coxendici plerumq; ex his nascuntur causis præcipuis, si quispiam sub ardenti sole multum errat, coxendica calefiunt, succusq; articulorum prę ardore ex siccatur solis.

Verũ φ siccus efficiatur, ac stringatur, hoc maxime argumẽto fit, nã affectus, præ langore nequit ligamenta flectere seu mouere articulos, quod ue rigent vertebræ cum spina, & constringantur, vt ea flectere non valeat, pręterea afficitur laboribus, vertebris, ex latere sinistro, & coxendicis etiam ac genubus, Diu & langor residet in pudendis quinimo & in coxendicis, grauis & feruens offirmatur, quare si quispiam subleuat affectum, vel moueat, præ langore gemens multum quæritur nonunquàm & conuulsio succedit cum frigore & febre, quod fit ex motu bilis, & sanguinis, huiusmodi & enim langores ab ijs omnibus proueniunt, & si nonunquàm tum frigus, cum febris ipsa, valde vrens, non succedit, propterea qui hoc morbo afficitur, medendus est medicamentis scriptis apud methodicos.

Morbus etiam regius grauis est, mecans celerrime,

est autem color per similis colori lacerte viridis, residet in lotio sedimentum subrutilum, febre vero & orore non magno afficitur, nonunquàm tegmentum ipsum pati potest, sepe vero seipsum, vt mordens intus cruciat; in diluculum etiam quandoq;, ieiuno intestina murmure moveri sentiantur, quem dum quis sublevat vel alloquitur non patitur, ideo qui ita affectus est nonunquàm die quartodecimo occumbit, quos dum pertransit fit sanus.

Morbus *pulmonis, febrem ardentem, creberrimum, & calentem spiritum, estum, langorem, defectum virtutis, motum sui ipsius tentans, iugulo, mammisq;, & dorsalibus multum laborans, vt sub pectore quid ponderis habere videretur, delirat nonunquàm, nec queritur, precipue cum tussi non afficitur, cum vero afficitur, queritur, ideo quod est magis diuturnum illud est magis & molestum, in principio candicantem spumam eicit, lingua livens efficitur, & in processu temporis. nigra, dum vero a principio fuerit sub nigra celerius euadit, cum vero in processu temporis, serius. Postremo autem lingua vt visco afficitur, quàm dum digito tetigeris, detinetur, at morbi indicat pro pulsionem, instar lateralis morbi, ys vero afficitur ad minus diebus quatuordecim, ad maius etiam vno & viginti, sed hoc tempore.*

Plurimum *afficitur tussi, & cum tussi expurgatur, in principio tandem spumosum, & plurimum esse*

cit, septimo autem atque octauo die cum febris feruet, Crassius, sin vero non febrit adeo, nono, & decimo spuit sub cruentum, at duodecimo ad quartumdecimum valde purulentum. Verumtamen qui ipsa natura sunt magis humidi, magis afficiuntur, qui vero sicci sunt temperamenti, minus. Sat ergo de diebus decretorijs locuti sumus; febres fermè, vniuersę decernunt diebus quinque, vel septem, vel vndecim, vel decem & septem, vel vno post vigesimum; Quę vero sunt acutę, vigesimum, & sexagesimum excedunt ordinem quia sunt diuturniores.

EX HYPPOCRATIS TRACTATV DE ANATOMIA, EPITHOMÆ.

MICHAELIS ANGELI BLONDI.

AB vtrisq; faucibus; & guture, protenditur arteria, & in supremo, pulmonis terminat extat autem quibusdam finibus, nexis inter se similibus; Pulmo vero tendens in latus sinistrum, tuberculosam efficit testudinem, fibris quinq;, quæ cineris ferè præferunt colorem, compactus etiam plurimis spiramentis, sed cor in medio consitum est, sphericum magis, respectu brutorum, & à corde iecur versus descendit fibreus canalis, cum vena quę magna appellatur, qua totus venter nutritur, propinquum, & simile ferè cæteris omnibus est iecur, sed alijs sanguinolentius est, extans duobus tuberculis, quę portas dicunt, in dextra sedentes, hinc vena instar cunei descendit ad Rehenes vnà iunctos, & similes in colore ouilli, hinc etiam petunt duo canales ad supremum vescice, quę neruosa est, grandisq; & ventriculosa, intusq; hęret loco medio, ornata ter binis receptaculis, at pala-

tum, & gutur habent initium ex lingua, desinit in ventriculum, quem & stomacum dicimus, & pre cordia post iecur, & spinam versus consita sunt, ex sinistra costa lien pendet, instar pedis, huma ni, & superior ventriculus adiacet iecinori ex si nistra totus vtiq; neruosus, cui quoddam intesti num hęret, quod pleriq; colon paruum appellaue re, alijs persi vile, extans longitudine ferè bis sex cubitorum reuolutum plerisq; sinibus per quod ex costa descendunt, hinc tamen nectitur carnosus colo, postremus vtiq;, nam, & in sedes postre ma terminat, cætera autem digescit natura.

EX HYPPOCRATIS TRACTATV DE LEGE,

Epithoma.

MICHAELIS ANGELI BLONDI.

ARS *quippe medentium, omnes antecellit artes, verumtamen illorum imperitia, qui hac arte fun guntur, atq; inditio illorum, qui de medicis haud bene sentiunt omnibus inferior monstratur arti bus, quorum error, hanc præcipuam videtur ha*

bere causam, quia huic arti tantum, nulla est alia pœna quàm infamię, hęc tamen non afficit errantes, per similes tragicis personis, qui tantum præferunt figuram, eorum quorum possident indumentum, vere autem non sunt illi, haud aliter & medici quidam, nomine tantum, opere vero vel re nequaquàm.

Quoniam qui artem medicam profitetur veram, hæc illum possidere necesse est, naturam, puerilem disciplinam, mores optimos, exercitij amorem, tempus, tamen pręcipue indiget, natura, quæ dum repugnat, vana sunt omnia, atsi ostendit oppositum, artis facile acquiritur scientia, quę pręuia prudentia paratur cum disciplina puerili, cõmoditate loci, exercitij amore, cum tempore, cui tandem hęc disciplina vt naturaliter in erit, optimos fructus producet, instar eorum quæ prodeunt e terra, quoniam natura cum ingenio hominis instar segis est & agri, verum, doctorum pręcepta vt Semina, quia disciplina & doctrina comparatur ado lescentię, vt semen satum in agro disposito satio ni, locus vero in quo discitur alimentum est aeris quòd segeti accedit, at cupido exercitij est opera, tempus vero cuncta hæc fortiora facit, & nutrit, quę arti medice & eius verę notioni conferunt, hoc tandem modo medentes non tam verbis; verum opere & re ipsa medici appellabuntur; nam imperitia malum est reconditum in illis qui

expertes sunt prudentię estq́; nutrix timiditatis; & quorumdam vitiorum, timiditas vero præse fert impotentiam, sed artis audatia ignorantiam, duo namq; sunt scientia & opinio; & altera facit scire altera vero ignorare, hæc tandem cum sint sancta officia sanctis monstrantur hominibus profanis vero nefas est; priusquàm sacris disciplinis dederint operam.



Addidimus Tractatus duos quos in Titulo Libri non legitis; & est Tractatus Anatomiæ; et Tractatus de Lege medentium.

Ex tugurio proprio.

Impressum in Platea Parionis; per D. Hieronymam de Cartularijs. XXVIII. Maij.

M. D. XLV.